

Dom. XIII. post Pentec.
tiam gratiæ ejus. Et factum est
verbum Domini ad me, dicens:
Manus Zorobabel fundaverunt do-
mum istam, et manus ejus perfici-
ent eam: et scietis, quia Dominus
exercituum misit me ad vos. Tu.
¶ Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo S. Procli Arch. Constantino-
politani.

Oratio 2. LECTIO 4.

In die illa dicit Dominus omnipotens. In quo die, ò Propheta? In die Incarnationis, quando Virgo cæli speciem quandam prætulit: quando ex utero prostrilermi radii: quando sol incarnatus è matrice prorupit: quando lux humanam figuram induit: quando partus ejus qui nascebatur, non initium, sed ortus fuit. Tu. ¶ Ego quasi.

LECTIO 3.

Ei convertit me, inquit angelus, qui loquebatur in me: et suscitavit me, sicut quando homo excitatur à somno. Quisnam angelus? Is qui læta, faustaque nuntiavit MARLE. Quis somnus? Legis tempus. Quandoquidem ut in somno palpebræ populus oblegunt, ita legis tempore velamen cor oblexerat. Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: vidi, et ecce candelabrum aureum totum. Quid est ergo illud candelabrum? Sancta MARIA. Tu. ¶ Benedictio.

LECTIO 6.

Cur autem candelabrum? Quia immateriale lumen, nempe Deum incarnatum, portavit. Ut quid verò aureum totum? Quia etiã post partum virgo permansit. Alii namque: Porta hæc clausa erit. Uterum autem portam vocari testatur Job dicens: cur non conclusi portas uteri mei? Et sicut candelabrum non est lucis causa, sed lucis vehiculum; ita etiã Virgo non est

post Pentec.
ipsa Deus, sed Dei templum. Tu.
¶ Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum
Matthæum.

LECTIO 7. c. 19. v. 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Archiepiscopi Toletani.

Serm. 2. in Assumpt. B. V.

Absque dubio, fratres carissimi, beata Virgo pro tantâ gratiâ, tantique honoris privilegio materno hodiè resedit sublimi in throno, quoniã etsi duodecim leguntur throni, in quibus duodecim Apostolorum sessurus est numerus, quando iudex omnium, sacratissimæ hujus matris Filius, sedebit in sede majestatis suæ cum senatoribus suis; non desunt tamen ibidem quàm plurimi alii, interquos in conspectu Dei, etiã viginti quatuor dicuntur residere seniores, et adorare ante thronum Dei viventem in sæcula sæculorum. Tu. ¶ Venite ad.

LECTIO 8.

Sed et Daniel testatur, quòd throni positi sint, nec eorum tamen explicat numerum. Undè liquidò constat, dilectissimi, quia thronus beatissimæ Virginis paratus ante mundi constitutionem, hodiè celsior glorificatur, et invenitur ab angelis: nec immerito igitur, quoniã et ipsa facta est thronus Dei, et thalamus, in cujus utero veniens sapientia Dei Patris Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Tu. ¶ Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Quòd si anima cujuslibet justis sedes est sapientiæ, tes è scripturâ, multò magis hujus anima, fratres carissimi, quam Spiritus Sanctus sic implevit, etiã ante conceptionis horam, ut saluaretur ab angelo: Ave gratiâ plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ad quam ita mox ingressus Filius Dei, qui est virtus et sapientia Patris, sic replèvit, sicque possedit, ut in eâ Verbum caro fieret, et habitavit totus Deus in homine, ac ideò totus in nobis, quia totus Deus in eâ fuit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Ecce throni * in cælo positi sunt, sed excelsior thronus Virginis Matri, quæ prima sedet post Deitalem.

Oremus.

Omnipotens sempiternus Deus, qui dilectissimam Unigenitum tu Matrem super omnes Angelorum choros in cælo sublimasti, concede propitiùs ut qui gloriam ejus in terris veneramus, ejus aspectibus in cælis perfri possimus. Per eundem Dominum.

Ad Magnific. ant. Ecce Candelabrum * aureum totum, et lampas ejus super caput ejus, et septem lucernæ ejus super illud.

IX.

VITA GLORIOSA

B. MARIE V.

Quæ post Assumptionem tempus complectitur.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tam in officio Dominicæ, quàm in feriati post Assumptionem.

In 1. Nocturno, et in Feriâ II. et IV.

¶ 1. Signum magnum apparuit in cælo: * Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona

stellarum duodecim. Allel., allel.

¶ 2. Arcum meum ponam in nubibus, * Et erit signum fœderis, quod constitui inter me, et omnem carnem super terram.—Mulier.

¶ 3. Apertum est templum Dei in cælo * Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, allel. allel. ¶ Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis.—Et visa.—Gloria.—Et visa.

In II. Noct. et in fer. III. et VI.

¶ 4. Recordare nostri, Domine, in conspectu Dei, * ut facias nobiscum misericordiam, et libera nos de morte, allel., allel.

¶ 5. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis, allel. allel. ¶ Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.—Expressa.

¶ 6. Magna est gloria ejus in salutare suo: * Gloriam et magnum decorem, imponens super eam, allel. allel. ¶ O Israel, quàm magna est Domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!—Gloriam.—Gloria.—Gloriam.

In III. Noct. et in Feriâ VI. et Sabb. ¶ 7. Sustulit me Angelus in Spiritu in montem magnum, et altum, * Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei, allel., allel. ¶ Et locutus est mecum, dicens: Veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni.—Et ostendit.

¶ 8. Gaudeamus et exultemus, et deus gloriam Deo: * Quia venerunt nuptiæ Agni, et

tuxor ejus præparavit se, allel. allel. *ÿ.* Et datum est illi, ut cooperaret se byssino splendenti et candido.—Quia vener.

§. 8. *omittitur in Dominicis.*
§. 9. Ambulabunt generis in lumine ejus, Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam, allel., allel. *ÿ.* Claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.—Et reges.—Gloria.—Et reges.

LECTIONES

DE SCRIPTURA.

dicenda in seriali officio et in primo nocturno Festivalium quæ proprias non habuerint.

IN FERIS II.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 24. 1.

Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui glorietur, et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius glorietur: et in medio populi sui exallabitur, et in plenitudine sanctæ admirabitur. Tu. *ÿ.* Signum. magn. p. 291.

LECTIO 2.

Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: ego feci in caelis, ut toriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texti omnem terram. Tu. *ÿ.* Arcum meum.

LECTIO 3.

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circumivi sola, et profundum abyssi penetraui, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti; et in omni populo; et in omni gente primatum habui. Tu. *ÿ.* Apertum est.

IN FERIS III.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 24. 11.

Et omnium excellentium, et humilium virtute calcavi, et in his omnibus requiem quasivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Tu. *ÿ.* Recordare. p. 291.

LECTIO 2.

Et dixit mihi: in Jacob inhabitata, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Tu. *ÿ.* Corona aurea.

LECTIO 3.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum delentio mea. Tu. *ÿ.* Magna est.

IN FERIS IV.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rose in Jericho: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Tu. *ÿ.* Sustinuit me. p. 291.

LECTIO 2.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax et galbanus, et unguia, et gutta, et quasi Libanus non incisus: vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Tu. *ÿ.* Gaudeamus.

LECTIO 3.

Ego quasi therebitus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus odoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei Tu. *ÿ.* Ambulabunt. p. 292.

IN FERIS V.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 24. 25.

In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Tu. *ÿ.* Signum magnum. p. 291.

LECTIO 2.

Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. Tu. *ÿ.* Arcum. p. 291.

LECTIO 3.

Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel reprobationes. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum; qui multiplicat, quasi Jordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam, sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemæ. Tu. *ÿ.* Apertum.

IN FERIS VI.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 24. 38.

Qui perficil primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam: à mari enim abundabit cogitatio ejus,

et consilium illius ab abyso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immense de fluvio, ego quasi fluvii Diorex, et sicut aqueductus exivi de paradiso. Tu. *ÿ.* Recordare. p. 291.

LECTIO 2.

Dixi: rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare: quoniam doctrinam quasi antelucanum illum omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. Tu. *ÿ.* Corona aurea.

LECTIO 3.

Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progeniis illorum usque in ævum sanctum. Videle, quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. Tu. *ÿ.* Magna.

IN SABBATIS.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 39. 17.

In voce dicit: obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivus aquarum fructificatæ. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondele in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Tu. *ÿ.* Sustulit me. p. 291.

LECTIO 2. c. 51. 31.

Appropriate me, indocti, et congregate vos in domum discipline. Quid adhuc retardatis? Et quid dicitis in his? Animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locuta sum: comparate vobis sine argento, et collum vestrum subjicite

jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. Tu. ꝑ. Gaudeamus.

LECTIO 3.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inventi mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in eâ. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. Tu. ꝑ. Ambulabunt. p. 292.

In singulis Antiph. Versib. et Respons. Vite gloriosæ additur Alleluia, ut in tempore Paschali.

DOMINICÆ TEMPORIS VITÆ

GLORIOSÆ B. M. V.

DOMINICA I.

Quæ incidit ipso die Assumptionis vel post Assumptionem B. M. V. Semiduplex.

Quando hæc Dominica occurrit in solemnitate Assumptionis, omittitur nec fit de ipsâ commemor.

Quando fit de Dom. omnia dicuntur ut in diebus infra octav. Assumpt.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

LECTIO 1. c. 4. 1.

Post hæc vidi: et ecce ostium apertum in cælo: et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum dicens: ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu: et ecce sedes posita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis

jaspidis, et sardinis: et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae. Tu. ꝑ. Ut in die assumpt.

LECTIO 2.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: et super thronum viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Tu. ꝑ.

LECTIO 3.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile cristallo: et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retrò. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Tu. ꝑ.

IN II. NOCT.

Sermo B. Alberti Magni Ep. De laudibus B. V. M. libr. 10. c. 7.

LECTIO 4.

Secundum Isidorum sedes in singulari numero propriè vel regis, vel regni est, quæ græcè thronus dicitur. MARIA verò sedes est regis magni, ideò de ipsâ dicitur: Dominus in cælo, id est, in beatâ Virgine, paravit ministerio Spiritûs Sancti sedem suam: quia in eâ quasi humilitate resedit tempore Incarnationis. Unde dicit Patri: tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam. De hæc sede potest exprimi illud, quod dicit Joannes in Apocalypsi: Fui in spiritu, et ecce sedes posita erat in cælo, et supra sedem sedens, et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis, et iris erat in circuitu sedis. Tu.

LECTIO 5.

Benè dicit: Fui in spiritu, id est, in

mente, vel quia qui videre vult, hoc est intelligere magnalia MARLE, de carnali necesse habet prius fieri spiritualis. Vel ut resurgat prius à culpâ, qui vult instrui de dignitate MARLE. Et ecce sedes; allegoricè Angeli, et prelati, in quibus sedet et principalitèr regnat Dominus, et alios regit et judicat: posita erat in cælo, hoc est, in Ecclesiâ providentiâ Dei ordinati. Unde Joannis dicit eis Dominus: posui vos, ut eatis. Vel MARIA, in qua resedit Majestas Deitatis, posita erat in cælo in assumptione, ministerio Angelorum in corpore et animâ, ut piè credatur. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Sedes ergò MARIA: sedens Filius Dei ex eâ carnem assumens. Ejus enim sessio est incarnatio: unde et dicit Patri: tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, incarnationem meam in Virgine. Ubi autem esset hæc sedes posita dicitur Ezechiel: Vidi, et ecce super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quasi similitudo throni, id est, beata Virgo, quæ est thronus, id est, sedes regia. Sequitur: et supra sedem sedens: Christus, scilicet, suâ virtute eam continens, et majestate præcellens. Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 28. v. 18.

In illo tempore: Accedens JESUS locutus est discipulis suis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo et in terrâ. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

In Nativ. B. V. M. Serm. 1.

Fecit in te magna, qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cælo, et in terrâ. Quid tibi negabitur, qui negatum non est Theophilum

de ipsi perditionis faucibus revocare? Intelicem animulam totum illud, quod in te factum est proprio carerecete denegantem, de luto fecis, et miserie sublevasti. Nihil tibi impossibile qui possibile est desperatis in spem beatitudinis relevare. Quomodò enim illa potestas tuæ potentie poterit obviare, quæ de carne tuâ carnis suscept originem? Tu. ꝑ.

LECTIO 8.

Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans: Domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat, quia quanto potentior tantò misericordior esse debetis. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle eum possit. Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quia in te et per te Filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit, quotiès refrigeras iram judicis, cum justitiæ virtus à presentia Deitatis egredietur? Tu. ꝑ.

LECTIO 9.

In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini: et sola electa es, cui gratia laeta conceditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasione quæras salvandi miseris, et misericordiam effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum penitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur. Tu. Te Matrem.

Ad Benedic. ant. In ditione tuâ cuncta sunt posita, et nihil potest tua resistere voluntati, allel. allel.

Oremus.

Oratio.

Læletur Ecclesia tua, Omnipotens Deus, beatissima Genitricis tuæ confisa adjutorio, atque ejus precibus gloriosis, et devota per-

maneat, et secunda consistat. Qui vivis et regnas.

XIII.

Gloria Deiparæ in celo.

CANON.

Ex Alexandro Papâ Secundo.

Ep. 32. ad Soldam. Icon.

377. Conceptit «Virgo» sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione juxta verbum Angeli in) Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratiâ esse probaretur, et Deus Filius ejus antiquum quod pridem docuit mandatum fidelitèr adimpleret, videlicet Patrem et Matrem honore prævenire; et ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris Virginis assumpta fuerat, à totâ discreparet. Tu.

Ad Magnif. ant. Ecce sedes posita erat in celo, et super sedem sedens, alleluia, allel.

CANONES.

Infra hebdomad. prim. Vite gloriosæ.

FERIA II.

Ex S. Athanasio Archiep.

Alexandrino.

In Smo. Dep. Annunt.

378. Nunc adest à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta, variegata, eo quod secundum sexum femineum Regina, et Domina, et Mater Dei appellari debeat. Tu.

FERIA III.

Ex S. Hieronymo Presbytero.

Ad Paul. et Eustoch. c. 16.

379. Beata Dei Genitrix, quæ adhuc tantis in terrâ predicatur laudibus, non immeritò creditur exaltata et glorificata, necnon et clarificata, quantum novit ille, qui eam elegit in suâ sapientiâ, quâ disposuit omnia. Tu.

FERIA IV.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. Superni benign. an. 1389.

380. Laudes tantæ Virginis humana lingua non sufficit exprimere, nec etiâ Sancti et justi eam in cuius ille, quem cæli capere non poterant, se contulit aulâ virginali, dignis laudum præconiis efferre poterunt... Tu.

FERIA V.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. ut supra.

381 «Si» Dominum in Sanctis suis laudare jubemur quanto magis in veneratione Beatæ MARIE Virginis Matris ipsius exultantibus animis collaudare... quæ etiâ exaltata super sidera stellularum consedit sui solio Genitoris...? Tu.

FERIA VI.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. immensæ bonitat. an. 1615.

382. Dignum debitorum reputamus, ut sicuti Redemptor noster et Deus ipsam sacratissimam Virginem sublimavit in cælis, ita eam nos quantum possumus honoremus in terris. Tu.

SABBATO

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabil. an. 1854.

383. Non luculenta minus quam concors Patrum sententiâ, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, eâ celestium donorum vi, eâ gratiæ plenitudine, eâque innocentia emicuisse, quæ veluti ineffabile Dei miraculum, immò omnium miraculorum apex, ac digna Mater Dei extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatæ naturæ quàm proximè accedens, omnibus quæ humanis, quæ angelicis præconiis celsior evaserit. Tu.

DOMIN. II. VITE GLOR.

Semiduplex.

Si hæc Dom. fuit ultima in vitâ

gloriosâ, omittitur, et ejus loco ponitur Dom. III. quæ sequitur. Officium per om.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

LECTIO 1. c. 11. 14.

Væ secundum abiit; et ecce tertium venit citò. Et septimus angelus tubâ cecinit: et factæ sunt voces magnæ in celo dicentes: factum est regnum hujus mundi, Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. Tu. ꝑ. Signum. p. 291.

LECTIO 2.

Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Tu. ꝑ. Arcum.

LECTIO 3.

Et iratæ sunt gentes, et adventit iræ tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis et Sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos, qui corruerunt terram. Et apertum est templum Dei in celo: et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus, et grandis magna. Tu. ꝑ. Aperitum est.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ilidephoni Arch. Tole-tani. Serm. 1. de Assumpt. in fine.

LECTIO 4.

Templum autem Dei est Ecclesia, sicut Joannes testatur in suâ Apocalypsi. Et apertum est, inquit, templum Dei in celo, et arca testamenti ejus visa est. Quæ profectò arca, non illi Moysi fabricata, sed

beata Virgo MARIA est, quæ hinc jam transposita erat, quam beatus Joannes Evangelista, testis veritatis, cui commissa est, forè recognoscens venerabiliter adfatur, quia in celo visa est: monstratur species in genere, sicuti et genus per speciem declarat, quoniam beata MARIA in templo Dei visa est, scilicet in Ecclesiâ. Tu. ꝑ. Recordare.

LECTIO 5.

Ecclesia verò in ejus virginitatis fructu penitus Domino dedicatur, ac per hoc arca testamenti Dei, ipsa videlicet Dei Genitrix in templo ejus non immeritò visa est, quia Ecclesia et ipsa virgo est. Undè Apostolus: Respondi enim vos uni viro, inquit, virginem castam exhibere Christo. Et ideo, dilectissimi, illic mentem dirigite, ubi sponsus vester pro nobis introit, et beata Virgo visa est: quoniam ibi ejus festivitatis relictur, ubi Christus est Sponsus, et æternæ vite gaudia celebrantur. Tu. ꝑ. Corora.

LECTIO 6.

Undè, quæso, egredimini fide, moribus, mente, atque omni desiderio æternæ visionis actibus, et pollutum nolite tangere. Ascendite rursum per contemplationem, et per conversionem bonæ vitæ, donec aperitum est templum Dei in celo, quatenus ingredi possitis, omnia ubi vobis repromissa bona servantur, et Virgo sancta celestis jam immortalitate vestitur. In celestibus hæmque sint corda vestra creata, ubi est et thesaurus vester. Tu. ꝑ. Magna.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 16. 13.

In illo tempore: Venit JESUS in partes Casaræ: Philippi, et inter-

rogabat Discipulos suos. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Seleucia Ep.

Orat. 39. de Beatâ Virgine.

Videlicet, quantum per Virginem peractum sit mysterium, quod omnem linguam cogitationemque superaudit. Quis ingenem Deiparæ potentiam non miretur? Quis non miretur quantoperè supereminet quotquot honoramus sanctos. Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiæ, ut non tactu solum ægros persanarent, sed et umbra projectu idem præstarent... qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? an non majorem nullò, quam ei subjectis? Cuiusnotum. Tu. ꝑ. Sustulit me.

LECTIO 8.

Lequid mirum si viventes virtute miraculorum pollebant sancti, quando eorum potestatem, non unà cum ipsis demortuis humus conspexit? Lapidis enim, qui horum oculunt corpora, iis qui malè anguntur, si modò pro dignitate accesserunt, salutem dare possunt. Quod si his tam rara perperasse concessum sit, quæ nutritionis pretium Matri dederit? Tu. ꝑ. Ambulabunt.

LECTIO 9.

Si Petrus beatus appellatus est, clavesque regni colorum concreditas habuit: cur non præ omnibus una beata prædicatur, cui eum datum est entis, quem ille confessus est? Si Paulus vas electionis cognominatus est, quod angustum Christi nomen extulerit, quod ubique terrarum id evulgaverit, quæ vas erit Dei Mater? Non aureæ instar arce, quæ manna cepit, sed celestem panem alvo comprehendit, panem alimenti, roborisque causâ credentibus datum. Tu.

Te Matrem.

Ad Bened. ant. Beatus Petrus, *

qui confessus est Christum, sed beator Virgo, quæ ipsum peperit, allel. allel.

Oremus.

Oratio.

Beatæ et gloriosæ semper Virginis MARIE intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

XIV.

Deiparæ Intercessio apud Deum.

CANON.

Ex S. Hormisdâ Papâ.

Concil. T. X. p. 395.

384. Intercessionibus Dominae nostræ Sanctæ et gloriosæ Virginis, et Dei Genitricis MARIE omnia ad indivisam unitatem conveniant, et fundamentum inconcussum catholicae fidei confirmetur. Tu.

Ad Magnif. ant. Et apertum est templum Dei in celo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, allel. allel.

CANONES.

Infra Hebdom. 2. Vite glor.

FERIA II.

Ex Julio Papâ Secundo.

Const. Dum præcels. an. 1508.

385. Virgo Dei Genitrix MARIA sedibus prælata Sydereis, quasi stella matutina prærutilans... utpote Mater gratiæ et misericordiæ et humani generis consolatrix pro salute Fidelium, qui delictorum onere pergravantur, apud eum, quem genuit, assidue intercedit. Tu.

FERIA III.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. Immense bon. an. 1615.

386. Præcelsis meritorum insignibus ipsa Virgo Dei Genitrix gloriosa sedibus prælata sydereis, quasi stella matutina refulget... et uti Mater Misericordiæ pro Christiano populo sedula exoratrix et pervigil ad Regem, quom genuit, intercedit. Tu.

FERIA IV.

Ex D. Augustino Episcopo.

Ap. D. Bonæ. Spec. Lect. 6.

387. Te solam, ô MARIA, pro sanctâ Ecclesiâ sollicitam præ omnibus sanctis scimus, quæ impetras inducias transgressoribus, ut renuntiant suis erroribus... Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus Sanctis libertatis impendere suffragium. Tu.

FERIA V.

Ex D. Bernardo Abbate.

Ap. D. Bon. Spec. Lect. 11.

388. Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediator causa suæ Filium habet ante Patrem, et ante Filium Matrem. Filius nudato corpore Patri ostendit latus et vulnera, MARIA Filio peccatus et ubera. Tu.

FERIA VI.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 11.

389. Beatissima Virgo MARIA inter hominem et Deum, inter hominem injustum et Deum justum est optima Mediatrix, optima iræ Dei Refrigeratrix. Tu.

SABBATO.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Specul. B. V. Lect. 7.

390. MARIA non solum in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiâ in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuat: detinet nimirum virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet damones, ne noceant: detinet Filium, ne peccatores percipiat. Tu.

DOM. III. VITÆ GLOR.

Semiduplex.

Omnia ut in psalterio per annum.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Ap.

LECTIO 1. c. 12. 1.

Signum magnum apparuit in celo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus, et in capite ejus corona stellarum duodecim: et in utero habens clamabat parturientis, et cruciabatur, ut pariat. Et visum est aliud signum in celo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem. ꝑ. Signum magn. p. 291.

LECTIO 2.

Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum celi, et misit eas in terram: et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperisset, Filium ejus devorasset. Et peperit Filium masculum, qui reclusus erat omnes gentes in virgâ ferreâ: et raptus est Filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. Tu. ꝑ. Arcum.

LECTIO 3.

Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prelium magnum in celo. Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnat et angeli ejus: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in celo. Tu. ꝑ. Apertum.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In signum magnum.

LECTIO 4.

MARIA est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quocumque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates am-

plissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub eâ et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissimâ quâdam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus, luri esse dicatur. Alioquin nihil magnum esse videbitur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quam super omnes angelorum choros, super Cherubim quoque ac Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Tu. ꝑ. Recordare.

LECTIO 5.

Jure ergo MARIA sole perhibetur amica, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultrâ quàm credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter MARIA meruit non velut summum tangi, sed operiri magis undiquè, et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Tu. ꝑ. Corona.

LECTIO 6.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum planè stellis coronari caput, quod et ipsis longè clarius micans, ornet eas, potius quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Nimirum leva Sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus MARIE regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Tu. ꝑ. Magna.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 12. 26.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardini Senensis.

Serm. de B. V. M. art. 3. c. 1.

Quòd beata Virgo, tam corpore, quam animâ gloriosâ regnet in cælis, ostenditur propter conformitalem, scilicet matris et prolis. Mater enim filio suo perfectè conformis fuit, et ejus præcipua imitatrix, non tantum gressibus pedum, sed etiâ pro reverentiâ ipsum Dominum secuta est affectu pietatis, fidei, religionis, et amore ardentissimæ charitatis, ut nunquàm ab ejus fide, atque dilectione avelli potuerit, quem de Spiritu Sancto, Angelo nuntiantæ, concepisse se novit. Nam ipsum concepit, ipsum peperit, lactavit, bajulavit, à facie Herodis abscondit: ergo esse non debuit, nisi ubi est Christus. Tu. ꝑ. Sustulit.

LECTIO 8.

Et non tantum quomodò alii Sancti sunt. Sed quâdam speciali prærogativâ. Quoniam sicut in Mattheo scriptum est: ipse reddet unicuique juxta opera sua: Si igitur omnium Sanctorum mors pretiosa, mors MARIE est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia. Si igitur in vitâ MARIE præ omnibus donata est gratia, in morte perfectò minuenda non est, sed ubi Christus Filius regnat, mente et corpore collocata est. Tu. ꝑ. Ambulabunt.

LECTIO 9.

Rursus si MARIA Christo conformissima fuit, tanquam Mater in puritate, et nobilitate, seu in regni diademate: protectò non debet Mater à Filio, Regina à Rege, non tantum mentaliter, sed nec corporaliter separari. Ergo MARIA, Mater Christi, Regina cæli unâ cum Filio debuit glorificata in animâ et corpore in celestibus collocari. Tu. Te Matrem.

Ad Benenict. ant. Ubi sum ego, illic sit et Mater mea, allel. allel. Oremus.

Oratio.

Dirige gressus nostros in benedictio tuo, ut, intercedente beatâ Virgine MARIA, ad celestem patriam perveniamus. Per eundem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis, an. 1854.

391. Cæli terræque Regina à Domino constituta ac super omnes Angelorum choros, Sanctorumque Ordines exaltata, adlans à dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri JESU-Christi matris suis precibus validissimè impetrat, et quod

querit, invenit, ac frustrari non potest. Tu.

Ad Magnific. ant. Mulier amica sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona duodecim stellarum, allel. allel.

CANONES

post Dom. 3. Vitæ glor.

FERIA II.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 10.

392. Magna ergo miseros fuit misericordia MARIE adhuc exultantis in mundo; sed multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cælo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, qui magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam.

FERIA III.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 3. Nativ. B. V. n. 8.

393. MARIA facta est idonea Advocata; idonea quia purissima; idonea quia acceptissima; idonea quia piissima. Hæc enim omnia ad advocatam requiruntur. Tu.

